

[1237–1251]

[47]

Beiband 2

H.1 S. 21

Abt Konrad IV. von Helmmarshausen nimmt den Freien Wicmann mit seiner Frau Fritheburga unter die Altarhörigen des Klosters unter bestimmten Bedingungen auf.

C. Dei gratia Helmwardensis ecclesie humilis procurator. Quoniam omnibus benefacere non solum amicis, verum etiam inimicis iubemur, quantum possibilitatis nostrae vires paciuntur, his potissimum beneficiorum nostrorum debitores sumus, qui spontanea se traditione manciparunt ecclesie sancte Dei genitricis Marie sanctique Petri principis apostolorum in Helmwardeshuson, cui divina ordinante clementia presidemus, ut eis pro modulo nostro contra diversas, quæ accidere solent adversitates, munimen nostræ providentie tam in futuro quam in presenti debeamus pretendere, quantum sinat vel temporum qualitas vel humanorum morum admittat instabilis levitas. Igitur, quæ subternata sunt, nota cupimus fieri tam presenti quam future fidelium Christi generationi. Quidam liber homo Wicmannus nomine cum coniuge sua Fritheburga dicta premium suum V videlicet mansos in Wicmannessen (tra)didit se prescripte ecclesie nostræ hac videlicet conditione, ut singulis annis quoad viveret IIII or denarios in festo beati Petri ad altare deferret, II pro se, II de predio. Quo defuncto filius eius, qui premium idem hereditario iure susciperet, totidem et ipse persolveret et hoc a generatione in generationem perduraret. Porro cum quilibet eorum vita decederet, quicquid melius in iumentis secundo loco habuisset, ecclesie representaretur et similiter per successiones generationum fideliter observaretur. Quod si legitimi heredes in hac successione defecerint, ut fieri potest, ecclesia idem premium libere possideat. Quod si forte aliquis eorum alienam duxerit uxorem, alienam videlicet sui iuris, etiam si ecclesie sit alterius conditionis, eo defuncto ecclesia item, quod suum est, recipiat. At si deficientibus mari bus femina ibi fuerit soror videlicet alicuius eorum succedet in hereditatem sub prescripta conditione. A nubentibus puellis nichil exigetur; pro morientibus autem optima vestis ad altare deferetur. Hanc traditionem sine alicuius personæ legitime facta reclamatione litteris mandari iussimus atque impressione sigilli nostri munitam banno quoque beati Petri robo-

ravimus, ut absque retractatione ab eo se dampnandum noverit, quicunque temerario ausu vim aliquam rebus eius inferre presumpserit.

Orig. Siegelrest an weißem Lederriemen.

Druck: Pfaff, a. a. D. S. 167 f. nach Overham (V, 255); vergl. S. 155.